

divisionem in propositione; tertia, discursum in syllogismo & methodo. Optimè convenit huic divisioni cum nostrâ partitione Logicæ generalis, si hoc unum notetur, authores hujus divisionis terminum simplicem latius accipere, ita ut definitio quoq; & distributio illis sint termini simplices, quatenus scilicet non sunt ita compositi termini, ut axiomata. Nos autem strictius accipimus vocem termini hoc loco, & existimamus axioma seu propositionem non satis philosophicè appellari terminum complexum. Propriè enim terminus complexus est oratio nondum axiomatica, ut ferum ignitum, item ars benè disferendi &c. Hoc ideò memimus, ut sciat Logicæ studiosus, definitionem & divisionem ab aliis vocari terminos simplices priori modo, & ita nos non negare id posse fieri: nobis verò terminum simplicem & complexum infra in doctrinâ argumenti strictissimè accipi, quatenus simplex absolutè significat rem unam, & complexum res duas non axiomaticè cohærentes. Breviter: definitio dicitur terminus simplex, comparatè, quatenus illa non est ita composita, ut axioma. Hic etiam illud observetur, nos per synecdochen subinde dicere Logicam generalem, Logicam specialem, Logicam thematicam, & sic deinceps, ubi dicendum erat, pars generalis, pars specialis, pars thematica &c. Item interdum pluraliter audias dici Logica generalia, Logica specialia, Logica thematica &c.

**Terminus simplex quis sit?**

Thema est terminus, seu instrumentum noëticum, quod materiam, de quâ disferendum est, dirigit.

Hic tria sunt ostendenda. 1. An doctrina de themate ad Logicam pertineat? 2. An thema sit instrumentum Logicum? 3. Quotuplex sit materia disertationis? Ad primum dico, Logicam istam abnormi laborare imperfectione, quæ thematis naturam non explicat. Id enim debet esse in arte quod est in usu. Jam verò in usu benè disferendi themata verbalia à realibus, simplicia à conjunctis &c. sunt distinguenda, ut hâc ratione scire possimus, quomodo themata sint tractanda, an per explicationem, an verò per probationem. Unde apparet, fundamentum esse totius Logicæ rectè distinguere inter themata, de quibus secundùm artis Logi-

**Doctrina de themate est necessaria in Logicis.**